Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Maliciam reseruantem quendam industrium comitem alium principem audiens hic magnus iohannes monuit sepe eum et suasit ad concordiam, et non potuit conuertere eum ad pacem. Semel ergo misit et adduxit eum sanctus quasi pro re publica, et facit missas in oratorio suo nullum habens secum nisi ministrum suum. Cum ergo sanctus benedixisset patriarcha et orationem dominicam inchoasset, ceperunt tres tantum illi dicere pater noster. Et cum peruenissent ad sermonem qui dicit: nobis dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, innuit domestico patriarcha ut taceret. Siluit uero et patriarcha, et remansit princeps solus dicens uersum: dimitte nobis d. n. s. e. n. d. d. n. Et statim conuersus sanctus dicit ei mansueta uoce: Vide in qua terribili hora quid dicas deo, quoniam sicut ego dimitto, ita et tu dimitte mihi. Statim tamquam ab igne cruciatum ferens predictus princeps, cecidit in faciem ad pedes sancti dicens: Quecumque ~~feceris~~ iusseris domine faciet seruus tuus. Et reconciliatus est ex tunc inimico suo cum omni ueritate.

Superbum autem iterum suadebat aliquem beatus. Hunc quidem in faciem non arguebat. Quando autem eum in secreto suo sedentem uidebat, afferebat de humilitate sermones, ut per tale magisterium sensim percuteret superbum et modestum faceret dicens ei: Mirum domini mei, quomodo non recordatur misera anima mea humilitatis que demonstrauit nobis super terram apparere filium dei, sed intumesco et extollor super fratrem meum. Si fuero modicum pulchrior aut ditior eo aut gloriosior, aut principatum cuiuscumque officii habuero, non intelligens diuinam uocem que dicit: discite a me quia mitis sum et humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris. Neque uoces sanctorum cogitans, quomodo quidam terram, quidam et cinerem, quidam uero uermem et non hominem, quidam autem impeditioris et tardioris lingue se nominabant. Et quia ysaias qui dominum uidere meruit, ut capit homo, te immunda labia se habere pronuntiauit. Quid enim et sum humilis? Nonne de luto factus sum, unde et lateres sunt? Nonne omne quod puto habere gloriam ut flos feni? Hiis ergo et huiusmodi et aliis pluribus uerbis sapientissimus quasi de se dicens, eum qui languorem inflationis et superbie habebat, cauterio comburens, persciderat ei anime. Intelligebat enim is qui ulcus habebat quod de eo patriarcha hec intimaret.

Et hoc frequenter ille adeo honoratus afferebat in medium ad humilitatis argumentum dicens: Quod si considerassem et cogitassem dei erga nos misericordiam et bonitatem, nec in celos oculos subleuarem meos, sed semper in humilitate et in humili habitu et prudentia degerem. Ut enim preteream qualiter ex nichilo insistente ut cernimus produxit nos factor, et peccato et inobedientia deceptos iterum reuiuificauit, et proprio sanguine redemit a morte, et omnem terram et ipsum celum in obsequium hominum subdidit. Sed et nunc qualiter peccantes non dissipat, sed magis longanimiter expectat. Immobilis illa natura et patiens ille oculus, et nobis plerumque blasphemantibus ipse consolatur et blanditur per miserationem suam, desursum pluuias propter uitam nostram tribuens. Quantos malos operarios pergentes ut occidant aut furentur tegit, et non tradit ne capiantur et pereant uel puniantur. Quantos existentes in nauibus in pelago ut predentur obuiantes sibi naues et occidant qui in eis sunt, non permittit in profundum demergi, sed imperat mari ne absorbeat eos, expectans conuersionem malicie ipsorum. Quanti pererant corpus et sanguinem eius sacrosanctum, et patitur et longanimiter agit, non reddens eis aliquid difficile. Quantos in itinere latrocinantes non tradit in cibum obuiantibus sibi bestiis. Quantos euntes concaua terrarum et itinerum seditiones operantes protegit, ut non consumantur a custodientibus canibus uel et hominibus, ut me [illegible] aut cum meretrice cumbentem, aut cum his qui se inebriant, uel cum turpia loquentibus conuersantem, aut cetero quolibet scelere huius peccato implicatum. Apes quidem circumferuntur et ualles et alueos querens circuit colligere mel fructum ut dulce fiat guttur, quod feda et iniqua pronuntiat. Uua autem festinat per calorem maturari, ut repleat os et letificet cor, quod factorem suum preuaricatum est. Flores autem inuicem se preoccupant ut delectent oculos qui fornicationibus et alienis mulieribus innuunt. Sic turbatur quatenus perueniat manum ut repleat per magnitudinem et os per dulcedinem que tenet et basiat alienam mulierem. Talia ergo inquit opera omnes agentes et tales retributiones accipientes a benigno deo, qualem debueramus habere prudentiam, considerantes et nostram horrendam horam. Multum enim de memoria mortis et exitu anime disputabat semper ille beatus, ita ut frequenter intrent quidam ad eum superbo scemate et ridente uultu et inconsiderato oculo, et exirent humili more et compuncta facie et lacrimantibus oculis. Scriptum quod et dicebat: Quia ut estimo ego humilis sufficit ad salutem assidue et dolenter cogitare et sollicitudinem habere, quomodo nemo nobis in ulla hora comparietur aut comitabitur ex uia ista nisi bona opera nostra. Et quomodo angelis uenientibus et properantibus turbatur tunc anima si non inuenta fuerit preparata, quomodo rogat ut addatur sibi modicum tempus uite. Audiet: Quid enim tempus quod uixisti bene consumpsisti? Et iterum dicebat tamquam de se ipso: Quomodo humilis iohannes transire poteris bestias harundyneti quando obuiabunt tibi exactores? Ve qualis timor et tremor obtinet animam tunc rationem ponentem tantis exquisitoribus

146